

Dissertatio inauguralis medica de praecipuis sanguinis qualitatibus ad nutritionem corporis humani facientibus ... / [Wolfgang Jakob Lochner].

Contributors

Lochner, Wolfgang Jakob.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altorfii : Typis Joh. Georgii Meyeri, [1741]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dac5gu2u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

PRAECIPVIS SANGVINIS
QUALITATIBVS

AD
NVTRITIONEM CORPORIS HVMANI
FACIENTIBVS

QVAM
IVSSV AC INDVLTV

INCLVTAE FACVLTATIS MEDICAE

IN
CELEBERRIMA VNIVERSITATE ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVM MOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQVENDI

EXAMINI PVBLICO SVBIICIT

D. IVNII A. O. R. MDCCXXXI.

WOLFGANGVS IACOB. LOCHNERVS
HEROLDSBERG. NORIC.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI, ACAD. TYPOGRAPHI.

G. D. B. R.

DISSERTATIO IN ACADEMIA REGIA UNIVERSITATIS MEDICAE

DE

PRÆCEPTIS SANGVINIS

QUALITATIBUS

AD

INSTRUCTIONEM CORPORIS HUMANI

FACTENTIBUS

QVAM

IVSSU AC INVITU

INCLVTAE FACVLTATIS MEDICAE

IN

CELEBERRIMA VNIVERSITATE ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMO IN MEDICINA HONORE

ET PRIVILEGIO DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQVENDI

EXAMINI PVLICO SVBICIT

D. 1791. M. O. R. MDCCXCVI.

VOLFGANGVS JACOB. LOCHNERVS

HEROLDSEBERG. NORIC.

ALTOREII

TYRIS ION GEORGI MERTEL, ACADE. TYPOGRAPH.




P R A E F A T I O .



Non est, quod multi putent, bonum theoreticum esse malum practicum. Et enim quam frigida haec sint uerba, et quam infirmo stent talo, iis cognitum perspectumque fore iudico, quibus prima artis salutaris fundamenta, nexumque uerae theoriae et praxeos, intimius cognoscere licet. Quis nescit, quam incomparabilem usum praxi medicae, in explicandis symptomatibus, morborumque causis detegendis, attulerit Anatomia, inprimis practica? Quem fugiunt praeclara commoda, quae ex intimiore Physiologiae studio redundant in Pathologiam? Quem latent utilitates, uix uerbis satis exprimendae, quas ex perspicaciore Pathologicae et Semioticae cognitione haurimus, ad bene recteque medendum? Quid praestantius denique ad morbos quoscunque profligandos praecauendosque, quam exactior

medicamentorum, simplicium aequae, ac compositorum, cognitio, eorumque virium sollicita inuestigatio, utpote quibus remediis rite propinatis non solum corpus sanum conseruatur, sed etiam laesum, quoad fieri potest, in integrum saepe restituitur. Nonne igitur satis perspicuum est, quod praxeos medicae fundamentum solidanitur theoria, omnisque sine hac euanescat certitudo, pereatque totius artis salutaris splendor. Potius ergo credendum, quin pro certo habendum, illos, qui istam neglexerunt, uel scientia illius plane destituti sunt, fama quidem et nomine, re tamen et opere Medicos non esse. Cum itaque satis constet, eos, qui in theoreticis thematibus elaborandis occupati sunt, non ideo accusandos reiiciendosque esse, ac si nullum plane commodum medicinae practicae afferant; ut potius in fundamentis huius condendis operam suam collocent, satisque ad praxin rationalem superstruendam conferant: ideo speraui, me haud superuacaneum suscepturum esse laborem, si quando speciminis loco inauguralis etiam thema quoddam theoretico-physiologicum eligerem, et de sanguinis qualitatibus iis, quibus iste ad nutriendum corpus humanum aptus esse obseruatur, quaedam theorematum proferrem. Quanquam autem virium mearum tenuitas abstruso huic operi absoluendo haud suffecerit; humanitate tamen et aequanimitate beneuoli lectoris confisus, spero, eum hosce conatus meos non male interpretaturum esse.



§. I.

Nutritionem corporis nostri fieri per eius sanguinem, nemo facile negabit. Probatum id ab evidenti nutritionis defectu, e sanguinis inopia conspicuo. Quid enim apertius est, quam quod homines fame, inedia, haemorrhagiis, morbis diuturnis, aliisque excretionibus nimis, ut salivae, sudoris, lactis, urinae, profusionibus iusto largioribus, (utpote quibus vires succique vitales exhauriuntur,) contabescant, atque carnibus, habituque suo pristino, exuantur? Ex aduerso nutritionem melius in iis procedere constat, qui lautiori victu utuntur, sanguinisque copia atque temperie gaudent; certo indicio, nutritionem corporis fieri ex eius humoribus.

§. II.

Ex humoribus vero corporis nostri vix ullus alius ad hoc officium nutritionis praestandum destinatus esse videtur, nisi catholicus ille, quem sanguinem dicimus, et qui per arterias a corde ad partes quaslibet deuehitur. Quanquam enim plures succi laudabiles, u. gr. saliva, succus pancreaticus, in aliquibus corporis partibus elaborentur, et seorsim colligantur; attamen ab iis materiam nutritionis petere, inanis labor esset; siquidem, cum omnes partes corporis nutritione indigeant, necesse est, talem humorem ad istas partes nutriendas in promptu esse, qui ad singula corporis loca distribuatur, atque sufficienti copia, flumineque haud interrupto, singula membra irrigare possit. Cum itaque per arterias sanguis ad omnes, etiam abditas, corporis partes deducatur; ideoque istum humorem prae omnibus aliis ad nutriendum corpus facere posse, iudicamus.

§. III.

An uero sanguis totus ad nutritionem corporis faciat? an uero tantum aliquae eius partes hunc usum praebeant? id nunc erit disquirendum. Equidem, si ad sententias medicorum respicimus, alii chylum, alii sanguinem stricte dictum, seu cruorem, alii serum, alii lympham, alii denique partes gelatinosas fibrosasque in sanguine natantes, partium deficientium et detritarum locum occupare, ideoque nutrire posse, asserunt. Nonnulli uero succo neruoso adscribunt distributionem et substantiam altricem. Non quidem his diuersis opinionibus refellendis, aut conciliandis, immorabor, sed quantum natura nutritionis, eiusque requisita, suppeditabunt, ad qualitates sanguinis referam; ita enim ex his utrisque inter se compositis rationibus facile erit intelligere, quales praecipuae partes sanguinis ad nutriendum aptae sint, et requirantur.

§. IV.

Nutritio corporis est ista actio naturalis, qua partes corporis animalis uiuentis, calore motuque detritae et excretae, per conuenientes alias partes restituntur; ad indiuidui, aut conseruationem, aut augmentum, in mole sua.

§. V.

Equidem modum huius actionis naturalis ad amissim assequi, humano ingenio haud omnino licet. Cum enim tantum absit, ut partium minimarum texturam actionemque sensuum nostrorum, utut microscopiis armatorum, acie exactissime dignoscere possimus; ut potius singularum in sanguine contentarum uarietatem, formam, proportionem, et actiuitatem, experimentis quibuslibet institutis, perfecte eruere minime ualeamus: hinc uix ac ne uix quidem humano ingenio concessum

sum esse iudico , tam abstrusum opus intime penetrare. Nilominus tamen, cum sana ratione, experimentisque indubitatis, ad aliqualem cognitionem huius actionis naturalis pervenire queamus; ideo, quantum ingenii mei tenuitas permittet, prosequar id argumentum dilucidare per requisita nutritionis euidencia, et extra omnem dubitationis aleam posita; quae si in sanguine adesse deprehenduntur, nemo facile negare poterit, istas sanguinis qualitates esse praecipuas ad nutriendum.

§. VI.

Primo quidem generatim corpus nostrum ex partibus tam solidis, quam fluidis, compositum esse nouimus. Vtrasque uero partes successiue, illas quidem tardius, has uero citius, e corpore discedere, quotidie experimur. Cum itaque nutritio requirat partium necessariarum, modo subductarum, reparationem; sequitur, tam fluidas, quam solidas, partes ad nutriendum requiri.

Scholion.

Equidem me haud latet, apud plerosque medicos inualuisse consuetudinem, ut non tam fluidas, quam solidas, uel saltem solidescences substantias, ad nutritionem tantum facere asseuerent, et omnem aquam, ceu ineptam ad alendum materiam, reiiciant. Quod tamen hoc ipsum aquosum elementum inter partes nutrientes pertineat, et ceu summe necessarium principium requiratur, id non solum patet ex modo allegata causa (§. VI.) sed etiam ex aliis rationibus. Quanquam enim opponi posset, nutritionem ab aliis usurpari non sensu generaliori, qua omnium partium corporis, consequenter etiam fluidarum, reparationem inuoluit, sed specialiori acceptione, qua solida tantum organa detrita restituntur, illam usu uenire: attamen quod etiam ad solidorum reparationem fluidi elementi portio quaedam absolute requiratur, id e forma et constitutione fibrarum naturali satis patet. Aquosa enim sanguinis portio non

pro

pro mero uehiculo habenda, cuius scilicet ope particulae solidae ad loca quaelibet refarcienda adducantur; sed aliquam eius fluidi partem ad substantiam fabricamque decentem fibrarum pertinere, id ex illarum flexilitate, elasticitate, mollitie, aliisque phaenomenis patet. Siquidem haud exsiccatas, omnique succo, priuatas, sed emollitas, flexiles, humoreque decenti inunctas fibras, sensus, motusque uitalis participes esse nouimus; unde satis constat, etiam fluidas partes, ceu constitutiuas, etiam in solidis fibrosisque organis decenti quantitate requiri, et ita ab officio nutritionis prorsus excludi haud posse.

§. VII.

Vtrasque substantias, solidas nempe atque fluidas, in sanguinis massa contineri, nemo facile negabit. Aqueas enim partes esse copiosissimas, non tam autopsia docemur, sed etiam experimenta Hoffmanniana, aliaque, eius praesentiam copiamque ad certam quantitatem reducunt, ita ut euaporatis quatuor sanguinis unciis, earum tres in auras abeant, una tantum uncia solidae substantiae in uase relicta; unde tres partes fluidas, et unam solidae materiae, in sanguine contineri docemur. Vid. illustr. FRID. HOFFMANNI *observat. Physico-chemic. Libr. II observ. XXI fol. 208. item in Med. rat. systemat. Tom. I fol. 93.* Ex quibus etiam satis conuincimur, sanguinem particulis solidis haud destitui, et uel hac qualitate sua ad nutritionem facere.

§. VIII.

Nutritionis materiam oportere esse tenuem, fluidam, et talem, quae per omnes corporis partes quaquauersum distribui possit, itidem ratio dicitur. Nisi enim ad omnia puncta corporis animalis duceretur humor nutritius, non posset illud ubique et aequaliter nutriri, sed tantum in iis locis, ad quae penetrare posset humor, aleretur; in capillaribus uero uasorum extremitatibus, si haec scilicet humoris istius affluxu destituerentur, alimentum sufficiens deficeret; unde corrugatio, tabes, et consumptio fibrillarum, sequerentur.

§. IX.

§. IX.

Tenuis, fluidae, penetrantisque substantiae humor est sanguis, dum adhuc in uasis suis continetur, riteque circumagitur. Praeterea circulari motu per uniuersum corpus distribuitur; et licet non in substantia sua, seruato nempe cruoris habitu, ad omnia puncta corporis penetret, sed aliquas membranas, tendinosasque partes, rubore suo haud penitus suffundat; attamen secum aduehit adeo tenuem penetrantemque humorem seroso-lymphaticum, qui uasa exilissima, eorumque poros, intrare queat. His itaque qualitatibus instructus sanguis, etiamsi non ex toto, tamen ex parte aliqua, aptus euadit ad dispensandam ubiuis conuenientem nutritionis materiam.

Scholion.

Mirum haud est, non sanguinem integrum, sed aliquam saltem eius partem, nutritioni inferuire. Sicuti enim iste non ad solam tantum nutritionem, sed etiam ad secretiones, uariorumque humorum elaborationes, aliosque ad usus, destinatus est; ita quoque non uniformes particulas, easque ad nutriendum tantum idoneas, recipere debuit. Cruorem itaque, seu rubicundam sanguinis portionem, ex modo (§. VIII.) allegata causa, non ceu proximam nutritionis materiam habere possumus; siquidem ille haud uasa minima ubique penetrat, neque ob molem suam, qua, teste LEEVWENHOECKIO, unus sanguinis globulus ruber magnitudinem globuli seroso-lymphatici, ceu colore pallidi, sexies superat, eo usque pertingere ualet, quo lympham serososque humores intrare nouimus. Vnde cum GLISSONIO, WARTHONO, MALPIGHIO, BARBATO, aliisque Auctoribus, certo sum persuasus, partes praecipue albas, quae olim spermaticae dicebantur, non a cruore, sed a lymphatico humore nutriri; etiamsi ad partium rubicundarum, praesertim musculosarum, aliqualem reparationem, sanguinis quaedam portio rubicunda, poros uasorum laterumque patentes forsan intrare soleat, et, si non integer globulus, attamen motu pressioneque in ramenta minora diuulsus, mutato rursus habitu suo, ad penetrandum nutriendumque idoneus tandem reddi queat.

§. X.

E fluidis autem et pure aquosis humoribus, nulla, uel saltem parcissima, substantia solida refertis, sicuti nullum, aut tardissimum, incrementum corporibus solidis accedere solet: ita quoque humor nutritius ad partes solidas corporis nostri cito et quotidie reparandas augendasque uix, ac ne uix quidem, facere posset, nisi partes quasdam secum duceret, quae aut iam solidae sunt, aut leui mora intercedente coeuntes, in fibrosam commutantur substantiam.

§. XI.

Hanc uero, quam modo allegaui, fibrosam, et ad cohaerendum promptissimam, dispositionem sanguis uisui nostro abunde praebet; ideoque uel hoc respectu desiderata nutriendi facultate praeditus esse uidetur. Nam simul ac uenis extractus est, et continuo motu haud amplius agitatur cruor, breui temporis interuallo, fluiditatem suam deponit, et coit in massam gelatinosam rubram, primum quidem forma, colore, cohaesione, et consistentia aequalem, dein uero sua sponte a se inuicem discedentem in duas distinctas substantias, rubicundam nempe et albam; quarum illa crassior, successiue magis magisque condensatur, et in angustiorem spatium contracta, fundum petit; hac uero parte (scilicet seroso, tenui, fluido, et subalbo humore, e mixtura sua dimisso,) supernatante. Ex quo satis patet, sanguinem ad concrendum ualde esse procliuem, eiusque partes fibrosas, quae obseruantibus LEEVVENHOECKIO, MALPIGHIO, BLANCARDO, et GVLIELMINO, in sero, et inter globulorum rubicundorum agmina, continentur, ad cohaerendum nutriendumque quam maxime opportunas esse.

§. XII.

§. XII.

Porro requiritur, ut partes hae solidescerent, non rubro, sed albo pallidoque colore, sint conspicuae. Quamvis enim nonnullae partes solidae corporis humani rubicundum colorem exhibeant; attamen rubedo ista, non tam a substantia fibrarum, quam a contentis intra uasa carniū globulis sanguineis, dependet. Viscera enim aliaeque carnes rubicundae, si continuata aquae, ope siphonis, in uasa iniectione eluuntur, uel saltem frustulatim aliquandiu aqua macerantur, rubicundum colorem plane exuunt, album uero pallidumque induunt, rubedine in aquam affusam translata, a globulis sanguineis, in illam receptis. Ex quibus phaenomenis satis conuincimur, partes omnes albas fibroso - solidas non rubram, sed albam, colore substantiam ad nutritionem suam requirere; consequenter sanguinis eam formam partemque, qua rubicundus est, ad istud officium haud esse accommodatam.

§. XIII.

Huic desiderio nihilominus satisfacit sanguis, ea sui parte, et qualitate, qua non tantum fibrillas pallidas, actu iam praesentes, in se continet, sed etiam quatenus serosa eius portio, a coctione leui, in albam solidamque substantiam, albumini ouorum cocto haud absimilem, concrescit et commutatur. Concrementa etiam ista uteri sanguinea, quae molarum nomine aliquando a feminis excernuntur, nec non polyposae concretiones, itemque cuticula alba, in sanguine per uenae-sectionem extracto non raro conspicua, satis comprobant, albam solidescerentemque materiam sanguini inesse, siquidem eiusmodi molarum sanguineae, polypique, in aqua quando macerantur, albam fibrosam cohaerentemque substantiam relinquunt; certo indicio, sanguinem haud carere iis partibus, ex quibus fibrae albae concrescere possent.

Scholion.

Ex hisce uero experimentis confirmatur, sanguinis partem rubicundam, non per se ad nutritionem esse idoneam; eos quoque graui errore et praeiudicio correptos esse, qui sibi aliisque persuadent, serum illud, quod sanguini post uenam sectam emisso supernatat, esse plane excrementitium et partim pro sudoris et urinae materia habendum, partim uero, ceu plurimorum morborum causam, accusandum et reiiciendum esse. Non quidem negauerim, istiusmodi sero admixtas esse partes quasdam excrementitias, successu temporis, cum urina et sudore excernendas, aliasque, ex quibus uaria pathemata nasci possent. Quod uero exinde integra feri portio omni laude priuanda, et ceu inutilis, et ad alendum inepta, diffamanda sit, id plane non cum ratione et ueritate constat; siquidem eius nutriens substantia ex antecedentibus satis demonstrata est; nec perspici ratio posset, quare tam magno artificiosissimoque instrumento secretionis, scilicet renibus, cuteque, utpote mole sua haud exiguis, opus fuerit, si urinae et sudoris materia leuissimo negotio, simplicis nempe stagnationis, e uolumine sanguinis posset euolui. Taceo reliqua euidentia signa, quae satis euincunt, sudoris et urinae qualitatem a natura feri, in uenis contenti, longe esse alienam.

§. XIV.

Tribus olim modis nutritionem absolui statuebant; scilicet προσθέσει, προσφύσει, et προσομοιώσει; id est, primum appositione seu adductione, dein adglutinatione seu ob similitudinem suam facili adhaesione, et demum assimilatione substantiae nutrientis, qua nempe ultima perfectaue actione materia similis iam adhaerens omnes, quascunque partis cuiusuis integritas requirit, qualitates et agendi uires recipe-
ret. Id ipsum uero ex modo allegatis qualitatibus sanguinis doceri haud omnino poterit; siquidem fluiditas, appulsio, distributio, penetratio, tenuitas, fibrositas, et color albus particularum sanguinis, ad nutritionem quidem contribuunt, sed omne illius opus haud absoluunt. Necesse est, ut adhae-
reant,

reant, ut assimilentur particulae, et in eam conuertantur naturam, quam quaelibet corporis pars habet propriam, atque prae aliis extrinsecisque rebus specificam. Animalem itaque texturam, tanquam in aliis non animatis corporibus haud ita conspicuam, et speciatim humanam, oportet, aut iam generatim habeant particulae nutrientes, aut speciatim concipiant, qua u. gr. in partes elasticas et uitales, seu tendineas et musculares conuerti, et ita utriusque motus sensusque participes fieri queant. Si enim similia similibus fluidis adhaerent; assimilatio hoc expeditius procedet, quo propior humoribus indigenis, et homogenea, substantia ex alimentis parata fuerit

§. XV.

Ecquis autem humor magis animantibus specificus est propriusque, praeter sanguinem? Ecquis individuo cuique hominum magis adaequatus, quam ille, qui ab ipso homine elaboratus, similisque suae indoli redditus est? Nulli enim alii rei sanguinem inesse genuinum, nouimus, nisi animantibus; nec quemlibet sanguinem, sed humanum, eumque in proprio cuiusuis corpore rite elaboratum, ad nutritionem facere, pericula transfusionis sanguinis, quae celebris quondam Norimbergensium medicus, MERCKLINVS, in *tr. de ortu et occasu transfusionis sanguinis*, erudite promulgauit, abunde docent. Vnde colligimus, sanguinem cuius homini proprium, ceu specificum et inquilinum humorem, quando naturam perfectionis suae adeptus, solidisque partibus analogus et quodammodo homogeneus factus est, (qualis in corporibus sanis, riteque partis, esse solet,) eas habere partes, quae cuicumque membro aliquid exhibeant, quod et nonnihil iam simile sit, et amplius plane assimilari possit, atque hac ratione nutritioni absoluendae inseruiat. Quanquam etiam iste sanguis ex alimentis materiam suam receperit; attamen ali-

menta cruda haud nutriunt , nec accrescunt nobis et assimulantur , sed mutatione multa indigent , usque dum in chylum conuertantur ; qui quidem chylus etiam in iis partibus , quae pristinam , u. gr. uegetabili , uel alii animanti , propriam indolem adhuc retinet , ad nutriendum idoneus haud est , nisi totus in succum sanguinemque conuertatur , alienamque a natura animali texturam exuat.

§. XVI.

Cum autem partes corporis nostri , quae reparatione indigent , adeo diuersae sint constitutionis , haud uidetur probabile , singulis resarciendis unam simplicemque materiam , sufficere , sed quamlibet partium speciem , etiam specialem sibi que respectiue similem materiam requirere. *Singulae enim partes* , ait GALENVS , *in Comment. ad Aph. 17. lib. 2. proprio nutriuntur alimento.* Nimirum ossa , utpote quae , prae reliquis carnibus , maximam terrae portionem recipiunt , terrestres particulas prae aliis desiderabunt restituendas ; medulla et pringuedo autem oleosas ; ligamenta et carnes , utpote quae , cum aqua coctae , in gelatinosam substantiam rursus resoluuntur , gelatinosas particulas requirent ; cartilagine uero , pili , et ungues , expectabunt non tam terreas , quam potius alias mucaginosas et solidascentes , flexiles tamen et elasticas ; humores salsi et spiritualescentes , salinas et uolatili , sulphureo , penetrantique principio praeditas ; aquosi uero , aquosas ; alii humores alias ; quilibet suas , exposcent particulas. Sicuti autem hae partes multum inter se discrepant , nec una in alteram subito commutari ualet ; ita quoque , nisi singulae , et qualitate sua iam distinctae , particulae in sanguinis massa continerentur permixtae , uix uidetur fieri posse , ut singula membra e simplici et homogeneo humore haud ita prompte , ut decet , renascantur.

§. XVII.

§. XVII.

Experimenta, quibus partes, sanguinem constituentes, in certas distinctasque species disponuntur, luculenter comprobant, massam eius minime simplicem et homogeneam, sed ualde heterogeneam, atque ex multifariis, praesertim autem modo (§. 15.) desideratis, particulis esse compositam, ideoque respectu huius mixtionis suae ad nutriendum satis idoneam. Nam in aquosas, terreas, salinas, gelatinosas, oleosas, spissas, fibrosas, spirituosas-elasticas, atque uolatiles partes, leui negotio resoluitur; consequenter singulis etiam organis conueniens alimentum e penu mixtionis suae suppeditare ualet.

Scholion.

Idem patet e diuersis alimentorum fontibus, utpote natura, substantia, temperie, ac figura ualde dissimilibus, et tamen ad sanguinis restaurationem necessariis. Quanquam enim HIPPOCRATES tria tantum requirere uideatur elementa, quando in *lib. de flatibus: Hominum*, inquit, *et reliquorum animantium corpora triplici alimento nutriuntur, cuius haec sunt nomina, cibus, potus, spiritus*; attamen haec magis generatim, quam speciatim accipienda sunt. Vnde MAZINVS, in *instit. Medico-mechanicis P. 1. Diss. 13. §. 154. pag. 105.* audiendus, ubi: *In fluido, inquit, aereo, in cibus et potionibus, uariae rursus indolis existunt corpora diuersae molis, ponderis et figurae, - - hinc uniuersa fluidorum massa ex particulis diuersi generis elaboranda et componenda. Putauerim itaque, nutritionis materiam non a solo nerueo succo, non a solo sanguine, non a sola lymphâ, sed ab omnibus et singulis quibuscunque humoribus, petendam esse, quoties singuli habuerint homogeneas particulas, specificis et homogeneis partibus adaptandas. Specificè itaque nutrit succus nerueus partes sibi homogeneas, specificè suas sanguis, specificè suas lymphâ, etc.*

§. XVIII.

Proportionata tamen et continua debet esse haec reparatio. Continuo enim e compage corporis nostri aliquid discedit et corrumpitur; ideo apta nutritionis materia diu care-
re

re haud possumus, sine partium damno et tabe, presso pede subsecutura. Neque uero de omnibus membris aequalis quantitas deperditur; sed de aliis plus; minus de aliis. Ita aquosa, et lymphatico serosa portio omnium copiosissima, intra breue tempus, absimitur per secessionem sudoris et urinae continuam; minus uero de carnibus abscedit, parcus de ligamentis, parcissime et tardissime de ossibus. Hinc proportionata quoque esse debet restitutio, ita, ut partes cito et copiose discedentes, cito etiam largiterque sanguini denuo addi possint, et in hoc reperiantur copiosissimae; quae uero parcus tardiusque secedunt, etiam minori quantitate sanguini admixtae sint. Ista enim partium proportione sublata, aequalis quoque nutritio tolleretur. Si enim u. gr. plures partes, ossibus resarciendis aptae, in sanguine nascerentur; iusto autem pauciores carnibus regenerandis idoneae adessent; sane ossium augmentum excederet modum, carnes uero haud sufficienter restituerentur, et hac ratione omnis tandem fabrica et actio corporis perderentur. Quapropter necesse est, ut singulae ad nutriendum quomodocunque facientes partes, decenti quantitate, et semper, in sanguine contineantur.

§. XIX.

Ex his uero ratio patet, cur partes terreae omnium paucissimae; aquosae uero copiosissimae; fibroso-gelatinosae sit magna copia; oleosae autem et salinae parciores, in sanguinis genuini massa contineantur? et cur, ista proportione turbata, uel plane sublata, ipsa quoque nutritio, siue in toto corpore, siue in parte eius, ordinem debitum transgrediat, sanguisque intemperatus, salibus, uel sero abundans, in scorbuticis, hydropicis, hecticis, cachecticis, etc. nutriendi facultate priuatus sit? item constat inde, cur non quaelibet alimenta, praesertim acria, salina, cruda, et quae crasin humorum decen-

decentem haud rite refarciunt, nutritioni laudabili haud inferu-
ant? Semper tamen, ut proportio ista particularum, sanguinem
constituentium, in eius massa seruetur et reparetur, id quoti-
diano, conuenienti, et sufficienti alimento effcimus, utpote ex
quo chylus, et ex hoc sanguis, continuo reparantur; siqui-
dem chylus non illico, sed successiue, in sanguinem, flui-
dumque animale, conuertitur; et, si iste sanguis consumtus et
mutatus, serum uero dein acrius redditum sit, appetitu exci-
tato, ad cibum potumque assumendum inuitamur, ut ab alimen-
tis temperatis semper ista suppeditetur substantia, quibus et
temperies humorum restitui, et uires refocillari, et corpus
decenter nutriri, possit.

§. XX.

Neque uero durabile prorsus, constans, et perenne ali-
mentum, sed tale, quod mutationi et corruptioni obnoxium
sit, requiritur. E substantia enim ualde corruptibili sumus
compositi, quae ideo reparationem suam a durabili atque per-
enni haud exspectat. Nisi etiam humor nutriens facile in ali-
am aliamque formam se mutari pateretur, saepe fieri posset, ut
unum sanguinis elementum praeter altero excederet quantitate,
et ita proportio et crasis partium sanguinem constituentium tol-
leretur, consequenter aequalis nutritio, et uita, tandem prae-
mature cessarent. Ideoque u. gr. oleosa sanguinis portio, si
respectiue exsuperet, in gelatinosam, haec in serosam, uolati-
lem, fassam, terream, aliasque sexcentas formas, commu-
tari debet. Si enim eupeptis semper et gelatinosis frueremur
alimentis, certe elementum sanguinis gelatinosum, exinde ni-
mium abundans, nutritionem corporis redderet inaequalem,
et ita, sublato partium aequilibrio, morti uiam sterneret,
nisi motus calorque corporis istam gelatinosam partem suc-
cessiue in aliam formam et respectiue quantitatem reducerent.

(Siquidem uidemus, otiosos, et lauta diaeta saginatos, citius interire, quam uitae laboriosae addictos.) Haec itaque pericula ut auertantur, necesse est, substantiam nutritionis non solum ualde mutabilem, sed etiam corruptibilem esse. Nisi enim rursus corrumpetur, et sub specie excrementi secederet, certe corpus, aut non amplius, aut nimis, nutriretur. Si enim, reparato semel defectu, nulla amplius darentur spatia, quibus succus nutritius applicari possit, sane omnis nutritio, incrementum, et reparatio corporis cessaret, omnisque appetentia, digestio, et chylicatio euaderet ceu irrita et superuacanea. Concessis uero spatiis nouis, quibus alimentum insinuaretur, si nihil rursus a corporis mole discederet, aut corrumpetur, sane futurum esset, nos tandem in immensam molem succrescere. Hisce uero utrisque incommodis auertendis destinata est moderata humoris nutrientis corruptibilitas.

§. XXI.

Sanguinem tam in horas mutabilem, quam ualde corruptibilem esse, constat. Mutatur enim continuo, partim in bilem, partim in saliuam; hic urinam praebet, ibi semen; modo hanc, modo aliam formam, in uisceribus, glandulis, partibusque solidis, induit. Chylus quoque mutatur in serum, lympham, sanguinem; sanguis rursus in serum, aliosque partim laudabiles et temperatos, partim excrementitios, corrosiuos et intemperatos humores, et ita sanguinis partes nunquam sibi perpetuo constant; licet, hac uicissitudine per chylum nouum compensata, sanguis quoad principia sua generatim sibi constet, similisque, dum ualemus, continuo seruetur. Quod denique sanguis sit humor, ualde corruptioni obnoxius, de hoc nemo forsan dubitabit, cum is sat cito in pus, faniem, putridumque liquamen conuertatur, nisi conti-

nuo motu circulari decenter agitetur, partesque corruptas e uiuo corpore proscribendas ad emunctoria eius deponat. Vnde patet, utrasque qualitates, modo allegatas, easque in sanguine conspicuas, itidem aliquid ad nutritionem conferre.

§. XXII.

Ita uero comparata esse debet substantia nutriens, ut uiuo tantum corpori, non uero mortuo, neque putrido cui-dam membro, alendo augendoque inseruiat. Si enim post mortem nutritio haud cessaret, sed succi, in cadauere con-tenti, istius conseruationi opitularentur, tunc non tam com-putresceret, formamque mortis indueret, corpus humanum, uita defunctum; quam potius aliquandiu augetetur: neque pars sphacelata sponte a uiuo corpore abscederet, sed maximo potius cum incommodo et periculo aegroti accresceret; non minus, ac alia sarcomata fungosique tumores, qui, sublata particulari nutritionis proportione, in dies magis magisque protuberant. Patet ideo, succum nutritium post mortem qualitates suas, ad nutriendum idoneas, plurimum deponere, nutritionemque non, nisi in uita, neque perfecte, nisi in ho-minibus optime ualentibus, partibusque illorum integris, in-stitui debere.

§. XXIII.

Non opus est testimonio, cum experientia loquatur, sanguinem non, nisi in uiuo homine, nutritionem praestare; in mortuo uero et corrupto corpore, membrisque sphacelatis, colliquationem, putridamque carniū consumptionem, efficere. Id quod a natura sanguinis pariter proficiscitur. Simul enim, ac sanguis legitima ratione agitari desinit, sed in uenis, post mortem subsistens, colligitur, uidemus, illum plerisque supra

recensitis facultatibus , ad nutritionem facientibus , priuari. Fluiditate enim , distributione , et temperie sua destitutus , sibi que in uasis maioribus relictus , pro ea , qua facile uarias subit mutationes , indole sua , partim coit , partim secedit in partes nunc distinctas , et tandem ista particularum discordia , ope caloris excitata , in liquamen foetidum , carnes insimul depascens , resoluitur , adeo , ut idem humor , qui uita durante membris nutrimentum suppeditauerat , nunc mortis aduentu degenerans , iisdem corrumpendis destruendis que inseruiat. Nouimus enim , homines , sanguine abundanti refertos , necdum copia succorum exhaustos , sed subito , et maligno imprimis morbo , extinctos , longe citius computrescere , quam illos , qui uel inedia , uel haemorrhagiis , uel morborum diurnitate emaciati , succorum abundantiam atque uigorem dudum deposuere. Sicuti etiam exemplo abscessuum docemur , multis saepe mortalium commodis fieri , ut sanguis alicubi congestus in pus conuertatur , atque tam remouendis alienis infensisque rebus , quam reparandis partibus quibusdam , opituletur : ita nec hanc eius qualitatem , ceu ad nutritionis et regenerationis opus plane inutilem , prorsus reiicere ualemus.

Scholion.

Equidem e capillorum unguiumque in tumulis incremento , aliquando in defunctis obseruato , aliquis uim humorum uegetantem , etiam post mortem adhuc perseuerantem , adstruere posset. Verum enim uero , historiae istiusmodi , quas GARMANNVS in *Tract. de miraculis mortuorum Lib. I. Cap. I. et X* , collegit , partim ualde dubiae sunt atque incertae , partim rarissimae , quae non nisi unius uel alterius partis uegetationi insolitae et inconcinnae materiem e corpore , uiolenta morte peremto , substratam exhibuisse narrant. Tantum quoque abest , ut concedamus , nos a particulari nutritione ad uniuersalem recte argumentari posse , ut potius ista quoque uegetatio non diu perduret , sed , concepta semel humorum fermentatione putredinosa , statim cesset , ita , ut radices capillo-

capillorum unguiumque sub cute latentes, hac, scil. cute, successiue per putredinem absumta, magis magisque in conspectum ueniant, istaque falsa productione sensus fallant, et incrementum quoddam se concepisse, imprudentibus imponant.

§. XXIV.

Calor et motus continuo in uiuentibus perennant, uitaque hominum sine iisdem diu persistere nequit. Vtrisque uero partes corporis nostri consumuntur. Calore enim excoquantur et alterantur, motu uero atteruntur et corrumpuntur particulae, ex quibus homo componitur. Itaque ab utrisque decrementum corporis potissimum dependet. Quodsi itaque humor nutritius ab iisdem plane adeo corrumperetur, ut alendo corpori haud sufficeret, certe et uita hominis, et incrementum membrorum, breui tempore cessarent. Quo minus uero id accidat, necesse est, sanguinem ea qualitate praeditum esse, ut neque calor, neque motus, omnino obstent facultati eius nutriendi, ut potius, iisdem certo conuenientique gradu praesentibus, nutritionem adiuuent.

§. XXV.

Neque in hisce requisitis deficit natura sanguinis, quin operi nutritionis decenter famuletur. Caloris enim ope sanguis tandem coit, praecipue autem serum illius, mediante leui super ignem coctione, eo usque condensatur, ut albumini ouorum cocto non uideatur absimile. Pari ratione sanguis, per uenae sectionem e pede extractus, et aquae calidae immisus, membranacea concipit concrementa, quae, licet a uulgo pro euidetibus uiscositate iniquae documentis habeantur, rectius tamen eam probi sanguinis qualitatem produnt, qua is, in calore aucto concrefcens, aptus existit, ut solidis fibrosisque partibus augmentum quoddam addere queat. Nam istiusmo-

di concreciones membranaceae conspiciuntur in sanguine hominum ευστάσιον, optimaque ualetudine fruuentium, nec ulla humorum spissitudine morbosa suspectorum; ideoque pessimam sanguinis notam absolute haud arguunt, sed nutritias eius partes uel maxime monstrant, ope caloris facile coeuntes, uehiculo aquae diluentis haud obstante. Ad motum autem quod attinet, RVYSCHIVS sola conuassatione sanguinem fibrosum membranaceumque reddi posse, experimento, in *Theaur. Anat. VI. N. 7 p. 7.* recensito nos docuit. Ita quoque laniones, sanguinem, e maectatis animalibus profluentem, baculo agitantibus continuo, (ne scil. refrigerescens cruor in grumos coeat, serumque dimittat,) hoc ipso motu efficiunt, ut concrementa quaedam, quasi polyposa, compingantur, quae deinde a reliquo cruore fluido reiiiciunt. Quamuis itaque illustris FRID. HOFFMANNVS, in *Med. rat. syst. Tom. 1. Lib. 1. sect. 1. Cap. V. §. 26.* affirmet, *motum et calorem, continuam in sanguine humano facere mutationem, adeoque efficere, ut unus idemque sanguis haud diu in uenis perduret;* attamen haec ipsa frequens eius mutatio uim illius nutrientem non prorsus infringit; siquidem ex allegatis modo phaenomenis satis conuincimur, sanguinem, praecipue uero serosam eius partem, tam a calore, quam a motu, fibrosum densioremque reddi, consequenter solidis fibrosisque partibus resarciendis idoneum hac qualitate sua fieri, decentique corporis exercitatione fibrillas eius aequae intimius, ac copiosius, cum partibus corporis solidis coniungi posse.

Scholion.

Non tamen quemlibet calorem motumque, quocunque gradu contingentem, sed moderatum tantum, eumque cuius uitae generi, consuetudini, aetatique conuenientem, huic nutritionis negotio inferuire, lubens concesserim. Calore enim nimio, siue febrili, siue aestiuo, nec non laboribus duris assiduisque, corpus nostrum extenuari; somno autem et quiete, decenter interpositis, refectum, riteque pastum, rursus augeri atque saginari.

saginari posse, nemo ignorat. Ne tamen carnes uiuentium iusto citius depascantur, motuque et calore absumantur, eadem, quam modo laudauimus, qualitas sanguinis cauet. In febribus enim inflammatoriis, atque ardentibus quibusdam, sanguis e uena missus cuticulam concipit albam tenacemque, a lympha, per calorem nimis condensata. Ita quoque iis, qui laborioso duroque uitae generi adstringuntur, sanguinem prae ceteris densiorem tenacioremque inesse deprehendimus. Nec dubito, eum in finem hanc spissitudinem a calore et motu in sanguine produci, ne colliquatio humorum praematura contingat, sed potius fibrae tenaciores, ferendis laboribus idoneae, exinde generentur. Teneris enim mollibusque textura hominibus tenuiorem quidem, at uero ad colliquationem, et ad malignitatem fouendam magis promptum, sanguinem inesse, tristis saepe nos docet experientia.

§. XXVI.

Supereft, ut ad eos respiciamus homines, quos uidemus alios nutritionis integritate et praestantia antecellere. Inuentis enim cognitisque certis quibusdam, quibus utrorumque sanguis distinguatur, criteriis, ceu totidem experimentis, et ab effectu conuicti, certiores forte sumus euasuri, qualis sanguinis qualitas prae ceteris nutritioni faueat, aut ex aduerso eidem officiat? Experimur autem, infantes, pueros, iuuenes, eosque perfecte sanos, euidenti cum incremento corporis succrescere; uiros quoque mediae aetatis, lauto et conuenienti uictu fruente, imprimis uero diaetae moderatoque uitae generi studentes, optime et cum corporis sui non aequali tantum conseruatione, sed roboris etiam, molisque suae, aequali augmento, per obesitatem addito, nutriri, dummodo nulla humorum intemperie, nullaque uiscerum labe, sint affecti. Ex aduerso senes, ualetudinarii, scorbutici, hectici, febricitantes, uel alio succorum et digestionis uitio laborantes, satis experiuntur, corpus suum aut iusto minus, aut imperfecte et inaequaliter, nutriri. Nec obscura saepe intercedunt criteria inter sanguinem,

nem, quo utriusque ualeitudinis homines replentur. In iuuentute enim tenuis, floridus, penetrans, minusque cohaerens; in senectute uero spissus, atro-rubens, tenax, frequentissime reperitur sanguis; in uiris uero is medio modo sese habere solet. In ualeitudinariis autem morboque quodam affectis interdum consistentia et color sanguinis, serique copia, aut inopia, longius ab externo sanguinis probi habitu recedunt; interdum autem uix aliquas iniquae craseos notas produunt, sed formam externam sani sanguinis retinent.

§. XXVII.

Nemo non, his permotus phaenomenis, eas sanguinis qualitates laudabit, ceu nutritioni quam maxime opportunas, quas iuuenum uirorumque sanorum sanguis exhibet. Neque omnino reiicienda est haec assertio, utpote per experientiam aliquando confirmata. Homines enim bene ualentes, sanguineoque temperamento praediti, etiamsi aetate iam prouectiores, florida tamen facie conspicui, atque tam animi, quam corporis, alacritate et uigore adhuc gaudentes, sanguinem eiusmodi floridum, tenuem, et quasi iuuenilem, e uasis suis dimittunt. Nihilominus tamen laudatis modo qualitatibus sanguinis haud nimium fidendum esse, attenta nos admonet obseruatio. In hecticis enim nonnullis, adnotante illustri FR. HOFFMANNO, *in Med. Rat. syst. Tom. IV. P. I. sect. II. Cap. XIII. Obs. 4. p. 582. seq.* nec non in febricitantibus quibusdam, sanguis florida bonitatis specie conspicuus quidem, ast ad nutriendum minime aptus, reperitur. Ex aduerso in quibusdam optime ualentibus, bonoque corporis habitu praeditis, hominibus sanguis continetur, ratione externae formae suae, haud adeo conspicuis bonitatis encomiis maectandus, qui tamen facultate nutriendi praepollet. Quapropter non omnibus eadem sanguinis qualitas ad nutritionem perficiendam statuenda, sed ad aetatem,

tatem,

tatem, temperamentum, uictum, uitae genus, consuetudinem, anni tempora, aliasque reuocanda erit causas, quibus hominum natura distingui, et inter se inuicem, salua tamen permanente cuiusuis sanitate, uariare solet.

Scholion.

Quilibet ex ista sanguinis uarietate, dubiisque bonitatis criteriis, facile intelliget, quam difficile et ambiguum sit iudicium de sanguine per uenae sectionem emisso. Clariss. REGA in *medendi methodo*, Part. II. Cap. 7. Apor. 604. Schol. p. 321. seq. rationes aliquas addit, easque adiectis obseruationibus BALLONII et HELMONTII confirmat. *Quod iudicium*, inquit, *ex solo cruore latum, minus firmo stet talo, fit inprimis ex eo, quod sanguis in uariis hominibus bene ualentibus missus summopere uariare ac differre saepius deprehendatur: deinde quod non raro impurus appareat integris omnibus uisceribus, et contra purus ac bonus, principalioribus partibus corporis grauissime laesis. Nec mirum, cum sanguinis uitiata qualitas saepe consistat in particulis acrioribus, quas certe uisus detegere nequit.* Quamuis autem non omnibus eadem sanguinis crasis competat, sed suo quisque proprio humore gaudeat et nutriatur; attamen non ideo omne de sanguine, eiusque uirtute nutriendi, iudicium, ceu uanum irritumque, erit tollendum. In uarietate enim craseos sanguinis, apud sanos conspicuae, quidam conspiciuntur limites, quibus naturalis sanguinis probitas colore, consistentia, feri copia, tenacitate, sapore, aliisque phaenomenis, ceu quadam sub latitudine sanitatis, discrepans circumscribitur. Praeterea quaedam humorum analogia reperitur in iis, qui aetate, temperamento, uictu, aliisque §. 27. recensitis conditionibus, inter se conueniunt. Quodsi itaque omnem modum limitesque naturales excedat crasis humorum peruersa, eaque plane non cum temperamento, aetate, uictu, et reliquis, conspiret, sed a pristina forma, habituque antea consueto, longe discrepet, effectibusque aduersis improbitatem suam satis prodatur; sane non male concludimus, eiusmodi sanguinis qualitatem insolitam neque ad sanitatem, neque ad nutritionem conseruandam pro rogandamque, amplius satis conferre posse.

§. XXVIII.

Sanguis degustatus linguae falsum quendam saporem imprimit, salisque cuiusdam admixti particulam inter qualitates suas pertinere monstrat. BOYLEVS, (*in histor. sanguinis,*) duplicem huius salis speciem, alteram nempe salis communis, alteram salis uolatilis, se microscopii ope cognouisse, sibi persuasum habet. VIEVSSENIUS quoque *in Tr. de principis mixti et ferment: Part. I Cap. 8. p. 71*, istas sanguinis moleculas *in salino-acres, acidas, et falsas*, dispertit. Alii aliud de hoc sale statuunt. Si autem perpendimus, istud sal, neque in crystallisatione, neque in aliis eius tentaminibus, cum natura aliorum salium prorsus conuenire; non possumus, quin specificam illi concedamus indolem, atque praecipuum salis genus id esse existimemus. Nihilominus tamen, cum neque acidum, neque alcalicum salis praesentiam eminenter prodat, ad classem enixorum seu mediorum salium referri, et a plerisque cum sale ammoniaco comparari, solet. Siue igitur condimenti, siue menstrui loco, haec sanguinis qualitas salina obtinerit, atque tam attenuandis humoribus, quam abstergendis uasis, aperiendisque colatoriis, uel aliis quibuscunque usibus praestandis, destinata sit; singulis tamen hisce rationibus nutritionis opus quodammodo promouere poterit; dummodo legitima salis istius siue quantitas, siue qualitas, quibus temperies, et consequenter crasis, humorum potissimum innititur, modum non excefferit. Nouimus enim, sanguinem ab adiectis salibus, praesertim autem ab acidis, atque alcalicis, ualde mutari. Acida enim affusa illum coagulant, increassant, et colore obscuro nigricante obducunt; alcalica uero eundem attenuant, colliquant, colore rubicundo exaltant, magisque rutilum reddunt. Quantum etiam ab aliis generis succis et
spiri-

Spiritibus alteretur sanguis, experimenta BOYLEI, *l. c.* PITCARNII, *in Element. Med. Phys. L. I. C. 5.* FREINDII, *in Emmenol. C. 13.* DRELINCVRTII, *in Anat.* aliorumque, satis monstrant; manifesto indicio, naturalem sanguinis crasin, a qua nutritio insimul pendet, a rebus intemperatis, salis, acris, stypticis, uolatilibus, etc. multum perueri, consequenter ad nutritionem ineptam fieri; adeoque ad huius, nutritionis nempe, conseruationem, eo maxime respiciendum esse, ut legitima sanguinis temperies haud turbetur. Si enim intemperati redduntur humores, atque uel inertia, insulsaque aquositate, et uiscositate, uel ex aduerso acrimonia, saliumque peregrinorum abundantia, peccant, temperiemque suam perdunt; uim eorum nutriendi insimul cadere et minui, supra §. XIX, exemplo scorbuticorum, cachecticorum, etc. iamiam didicimus.

§. XXIX.

Vnde uero sanguis conuenientem temperiem, crasin, aliasque huc usque laudatas, et ad nutritionem pertinentes, qualitates recipiat? merito nunc quaerimus. Duo autem sunt praecipua momenta, quae uires suas ad opus illud perficiendum conferunt. Nimirum alimentum conueniens, eiusque in sanguinem probum legitima conuersio. Non enim quaelibet esculentorum potuumque genera pari uirtute nutriendi pollent; alia magis, alia minus; haec adultis, illa pueris; alia debilibus, alia robustis, magis deprehenduntur congrua alimenta. Etsi uero conueniens cuique cibus suppetat, qui qualitate sua nocere haud possit; attamen etiam quantitatis ratio habenda, ne obruantur uires corporis ipsius, quibus alimenta ita commutari debent, ut naturam sanguinis genuini acquirant. Ex altera enim parte in chylicationis et sanguificationis negotio omne fundamentum positum est; nimirum, ut partim ope liquorum menstruorum, scil. salivae, succi gastrici et pancreatici, bilis, lymphae, aliorumque

humorum, immo sanguinis ipsius copula, partim uero uasorum uiscerumque decenti impulsu, successiue alimenta resoluantur, elixentur, confermententur, et segregatis impuris superfluisque particulis, in societatem et formam sanguinis recipiantur. Ad hoc opus autem perficiendum requiritur, tam humorum legitima temperies, crasis, et copia, quam solidarum partium, praesertim uiscerum, tonus, uigor, et incorrupta conformatio, et tandem regimen diaetae conueniens, ut aequae secretiones, ac excretiones, rite peragi ualeant. Si quis itaque defectum quendam nutritionis patiat, certe causa eius, aut in uictu incongruo, aut in labe quadam uisceris, humorumque intemperie, solidarum uero motu peccante, aut denique in diaetae erroribus, quibus nempe chylicatio, et sanguificatio, et excretiones rerum excrementitiarum, turbari solent, quaerenda erit.

Scholion.

Ex his uero simul cognoscimus, quo dirigenda sit curatio, si quando nutritio deficiat. Cognita enim causa, utrum illa magis in uictu et diaeta, an uero magis in corpore aegrotantis, lateat? remedia etiam congrua, siue diaetetica, siue pharmaceutica, opponi possunt. Mirum tamen non est, aliquos, macilento corporis habitu affectos, ex alimentis alioquin laudatissimis, et nutriendi facultate praepollentibus, nihilominus parum nutrimenti recipere. Eupepta enim et euchyma, quae nullam uim humores alterandi possident, eam indolem recipiunt, quam sanguis istius hominis habet, a quo assumuntur. Qualis itaque sanguis corpori cuiusuis inest, talis etiam ex alimentis reparatur; unde bonus sanguis bonum, prauus uero prauum, ingenerabit sanguinem. Ita sanis sana sunt omnia; ualeudinariis uero aduersa pleraque; scorbutici, scorbuticum; cachectici, cachecticum etc. humorem ex alimentis sibi praeparant, nisi mutatio quaedam in chylicatione, ope remediorum conuenientium, instituat. Quapropter non sine ratione HIPPOCRATES, *Aph. 10. S. II. Corpora*, inquit, *impura quo magis nutriueris, eo magis laeseris.*

§. XXX.

Plures quidem adhuc restant sanguinis qualitates, quae partim sensibus obuiaae, partim uero occultae sunt, et imper-
scruta-

scrutabiles, licet ex iis quaedam forte nonnihil ad nutritionem facere queant. Ast, sicuti evidentes, et maxime ad nutritionem facientes qualitates, hac in dissertatione recensere, mihi proposueram; ita praecipuas quasdam me quoque inuestigasse, hoc magis confido, quo magis illas monstraui esse necessarias. Non enim tam nouitatis et curiositatis, quam ueritatis, studiosissimus, fatius esse duxi, cognitis quidem, at certis, quam nouis, ast dubiis, obscuris atque incertis, experimentis inniti, quibus, ceu fundamento stabili atque perpetuo, reliqua superstrui argumenta possint. Praecipuas enim eas esse iudico sanguinis affectiones, quibus absentibus nutritionem fieri posse, tam ratio, quam experientia, refragatur. Ecquis enim est, qui credat, sanguinem, supra recensitis, iisque necessariis, qualitatibus priuatum, nutriendo corpori sufficere? ut potius, uel una istarum deficiente, nutritio intercidere soleat. Si enim tenuitas, fibrositas, cohaesio, temperies, color, aliaeque supra laudatae qualitates desiderentur, ordinemque naturalem transgrediantur; statim a morboſis symptomatibus, ceu ab effectu euidenti, conuincimur, nec nutritionem, nec sanitatem, amplius persistere posse. Praesentibus uero iisdem qualitatibus, si corpus bene nutriatur, quid quaeso certius est, quam quod ab iisdem nutritio uel maxime dependeat? *Proinde, (ut uerbis utar illustris BERGERI, in Physiol. Cap. X. §. 2. p. m. 172.) non opus est, aduocare gluzen quoddam aliud, uel aliquem uegetationis opificem, qui segreget et assimilet succum, atque in substantiam carniū, cartilaginū, uel ossium, aut partium aliarum, conuertat, quemadmodum multi ridicula inanisque spiritus insiti et architectonici, uel archei, et succi nutritiū rectoris ac ducis, aut fermenti, uocula delectantur.* Possem iam eam medendi methodum, quae laudatis sanguinis qualitatibus, utut fundamenti loco ponendis, e directo officit, atque naturalem optimamque humorum in-

dolem peruertit potius, quam corrigit, hoc loco perstringere, et monstrare, quae damna ex eorum hypothese redundent, qui nil nisi solam sanguinis spissitudinem et plethoram, (ac si nulla, nisi simplex tenuitatis qualitas, sanguinem perficeret, neque is unquam ea ipsa tenuitate, acrimonia, colliquatione, inopia, aliisque modis, peccare posset?) ceu causam tantum non omnium morborum, accusant. Verum, quia ex antedictis haud difficulter haec ratione assequi quilibet prudens potest; ideo in his subsisto.

pag. 14. §. 15. lin. 5. lege, retinent.

DU handelst vom Geblüth, und dessen grosser Kraft,
 Du zeigst, was selbiges im Leib vor Nutzen schafft,
 Und wie disß nur allein aus Speiß und Trank entspringe,
 Mithin dem Körper selbst stets seine Nahrung bringe.
 Was Wunder! daß Dich heut Hygea auch bedenkt,
 Und nach vollbrachten Fleiß, dir neue Ehren schenkt!
 Was Wunder! daß sie Dich anheute auch erwählet,
 Und Dich inskünftige zu ihren Priestern zehlet!
 Drum schweig ich iezo nicht, ich ruff mit frohen Muth:
 Glück zu, mein Wehrter Freund! zum bald'gen Doctors-Hut.

Zur Bezeigung seiner Freude ruffte dem Herrn CANDIDATEN mit gegenwärtigen Zeilen also zu

I. F. FLEISCHMANN, Med. Dr.
 Opponens.

Zu

ZU wenig darf ich nicht von Deiner Tugend sagen,
 Denn dieses reimet sich zu meiner Liebe nicht:
 Und gleichwol kan mein Kiel nicht alles das ertragen,
 Was Dir die Warheit selbst zu Deinem Lobe spricht.
 Die Nach - Welt wird Dich schon aus Deiner Schrift er-
 kennen,
 Und dieser Ehre Dich mit Rechte würdig nennen.

*Diese vvenige Zeilen vvolte dem
 Herrn DOCTORANDO, als
 seinem vvertbesten Freund, mit
 Anvvünschung alles ersinnli-
 chen Wolergebens, beysetzen
 Desselben ergebenster*

**GVSTAV GEORG ZELTNER, Med. C.
 Opp.**

Bissher, Hochvvertber Freund, hast Du genung be-
 zeuget,
 Wie Du Apollo stets zu dienen vvarst gesinnt.
 Drum nimm anjezt den Kranz, den Dir Hygea
 reichet,
 Ob Du ihn gleich schon längst durch Deinen Fleis
 verdient,
 Geh, diene denen jezt, die sich Dir anvertrauen,
 Und ihre Hoffnung blos, auf Deine Klugheit bauen.

*Hierdurch wolte seinen hochwer-
 thesten Freund zur Erlangung der
 DOCTOR - Würde gehorsamst
 gratuliren, und sich zu fernern
 Andencken bestens empfehlen*

**IOHANN CONRAD WITWERT, Nor. M. C.
 Opponens.**

So vest, und so genau, sind Fleiß und Ruhm verbunden,

Und so gewiß erfolgt auf Schweiß und Müh der Lohn.

FREUND! feltner Redlichkeit, erwäg ich diese Stunden,
So trägt ja nur allein Dein Fleiß den Preis davon.
Und o! wie heftig sehnt sich NORIS voll Verlangen,
In Dir so Wiz, als Geist, des LOCHNERS zu empfangen!

*Zum Zeichen seiner aufrichtigen Freundschaft,
vullte dieses dem Wol-Edlen Herrn
CANDIDATO beysetzen*

Desselben

aufrichtig- ergebenster Freund und Diener

WOLFGANG FRIEDERICH SCHMID,
S. S. Theol. Cultor.



JOHANN CONRAD WITTEBERG, Nor. M. G.
Opponeus.
20